



Opvs Theologicvm

In Tres Tomos Distribvtvm, In quo praecipua totius Theologiae capita accurate pertractantur ... Adiecto ad finem Tertij Tomi Indice rerum notabilium

Qui totam primam partem D. Thomæ, ac multa alia continet, quorum Indicem sequens pagina dabit

Mauro, Silvestro

Romae, 1687

Q. 41. Vtrum Deus sit summè cognoscitiuus, & hoc probetur ex summa immaterialitate Dei.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-84111](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-84111)

QVÆSTIO XLI.

Virum Deus sit summè cognoscitivus, & hoc probetur ex summa immaterialitate Dei?

S. Th. q. 14. a. 1. 2. 3. 4.

1. **P**rimò videtur Deus non esse cognoscitivus. Omnis enim cognitio causatur ab objecto tanquam à patre, & à potentia tanquam à matre, ideoque cognitio intellectiva dicitur conceptus, seu partus, & est axioma receptum ex Aristotele, & S. Augustino, quod ex objecto, & potentia paritur notitia; sed Deus est adequatè à se, adeoque nihil in Deo est causatum; ergo &c.

2. Secundò videtur non benè ex summa immaterialitate probari, Deum esse summè cognoscitivum. Probatio enim fundatur in eo, quod omne cognoscitivum est aliquo pacto immateriale, & quod est magis cognoscitivum, ideo est magis cognoscitivum, quia est magis immateriale, adeoque Deus cum sit summè immaterialis, debet esse summè cognoscitivus; sed falsum est, quod omne cognoscitivum sit aliquo pacto immateriale; nam bruta sunt cognoscitiva, & tamen nullo pacto sunt immaterialia; falsum est etiam, quod quæ sunt magis cognoscitiva, ideo sunt magis cognoscitiva, quia sunt magis immaterialia; nam omnes Angeli sunt æquè immateriales, & tamen non sunt æquè cognoscitivi; ergo &c.

3. Tertiò quod est clarius, & notius non benè probatur per obscurius, ac minus notum; sed Deum esse cognoscitivum est clarissimum, & notissimum etiam rusticis, Deum esse summè immaterialem est notum solis sapientibus, qui laborant etiam in explicando, quid sit hæc summa immaterialitas; ergo &c.

4. Respondeo, quod potest multipliciter ostendi Deum esse cognoscitivum, ac summè cognoscitivum. Primò enim ex dictis quæst. 16. & 17. Deus est prima, & adequata ratio totius entis; ergo si Deus non esset cognoscitivus, vel actu non cognosceret totum ens esset ex aliquo non cognoscitivo, vel non cognoscente, adeoque totum ens esset insipienter, per accidens, & casu, sicut si diceretur, quod lapis, aut truncus esset prima, & adequata ratio totius entis.

5. Promovendo hoc argumentū, inferitur primò Deum esse non solum cognoscitivum, sed summè cognoscitivum, ac comprehendere se ipsum, & omnia alia. Cognitio enim totaliter penetrans omnia, quæ spectant ad rem, atque adequans cognoscibilitatem rei, est comprehensiva rei; sed Deus totaliter penetrat omnia spectantia ad ipsum Deum, & ad entia distincta à Deo; ergo &c. Probarur

minor. Quod enim est ab aliquo cognoscente non penetrante formaliter omnia, quæ spectant ad ipsum, est per accidens, & veluti casu secundum ea, secundum quæ formaliter non cognoscitur: e.g. qui occidit hominem non advertens illum esse hominem, vel esse patrem suum, per accidens, & casu occidit hominem, & patrem suum; ergo si Deus, qui est prima, & adequata ratio sui ipsius, non cognosceret formaliter se ipsum, & omnia alia secundum omnes rationes, Deus, & omnia alia per accidens, & veluti casu essent secundum illas rationes, secundum quas formaliter non cognoscerentur.

6. Inferitur secundò Deum esse ipsam actualem cognitionem comprehensivam sui ipsius, & omnium aliorum, adeoque in Deo cognitionem non distingui à substantia cognoscente; quod non distingui à quo; potentiam cognoscitivam non distingui ab actuali cognitione. Probat. Ut enim res non sit casu, non sufficit, ut sit ex cognoscente, sed requiritur, ut sit ex actuali cognitione; e.g. ut Ilias non facta fuerit casu, non sufficit, ut facta fuerit ab Homero cognoscente, sed requiritur, ut processerit ab actuali cognitione, qua Homerus disposuit Iliadem; ergo ut res non sit casu, prima ratio non solum debuit esse cognoscent, sed debuit esse actualis cognitio, adeoque in prima ratione cognoscent, & actualis cognitio, quod, & quo, potentia cognoscitiva, & actus debent identificari. Si enim cognitio distingueretur à cognoscente, non esset ex cognitione, adeoque esset veluti casu.

7. Inferitur tertiò in Deo non dari potentiam physicam, sed solum potentiam logicam cognoscendi, atque intelligendi. Probat. Nam potentia physica est potentia receptiva, vel productiva cognitionis, qua producens, vel recipiens constituitur cognoscent; potentia logica est non repugnans ad cognoscendum; sed Deus cum actu cognoscat, procul dubio habet non repugnantiam ad cognoscendum, & cum non distinguatur à sua cognitione, non habet potentiam productivam, vel receptivam cognitionis, siquidem nihil potest producere, vel recipere se ipsum; ergo &c. Eodem pacto probatur non dari in Deo potentiam formalem intellectivam superadditam essentiae, neque intellectivum radicale, neque habitum, vel actum primum intelligendi. Nomine enim potentiae formalis intelligitur potentia physica intelligendi superaddita essentiae; nomine intellectui radicalis intelligitur substantia, cui debeat potentia intellectiva superaddita; nomine habitus intelligitur facilitas intelligendi superaddita potentiae; nomine actus primi intelligitur virtus productiva intellectus, qua intelligitur; sed in Deo nihil horum formaliter datur, siquidem essentia Dei est ipsa formalis intellectio sine ulla potentia, facilitate, & actu superaddito; ergo &c. Licet hæc non dentur formaliter in Deo, tamen dantur formaliter perfectio.

etio.

ationes simpliciter simplices, per quas ad inuicem differunt in creaturis: ex gr. perfectio intellectus radicalis est, ut sit substantia intelligens: perfectio intellectus formalis est, ut sit proxima ratio intelligendi: perfectio habitus est, ut sit id, ratione cuius facile intelligitur: perfectio actus primi est, ut sit id, à quo est intellectio: sed hæc omnia prædicata formaliter continentur Deo; ergo &c.

8. Inferitur quartò Deum esse intellectum in actu puro. Intellectus enim in actu puro est, qui habet actum intelligendi sine vlla mixtione priuationis, vel potentiæ physicæ; sed Deus cum sit intellectio comprehensiuæ omnium, non habet admixtionem priuationis, vel potentiæ physicæ ad vllam perfectionem intelligendi; ergo &c.

9. Secundò probatur Deum esse summè cognoscituum. Illud enim est summè cognoscituum, quod habet vim cognoscitiuam continentem totaliter omnem vim cognoscitiuam possibilem, & adæquantem omnem cognoscibilitatem passiuam cunctarum rerum; sed Deus est talis; ergo &c. Probatur minor quo ad primam partem. Deus enim est prima, & adæquata ratio omnis virtutis cognoscitiuæ; ergo cum virtus cognoscitiua sit perfectio simpliciter simplex, continet formaliter omnem vim cognoscitiuam. Probatur secunda pars. Deus enim est adæquata, & sapientissima ratio totius cognoscibilitatis, quæ datur in rebus; sed stultum esset dare rebus cognoscibilitatem passiuam, quæ non posset adæquari ab vlla virtute cognoscitiua; ergo Deus habet vim cognoscitiuam adæquantem omnem cognoscibilitatem, adeoque comprehendit se ipsum, & omnia alia.

10. Tertio idem probatur ratione, quæ vnicè affertur à S. Thoma hic quæst. 14. art. 1. quia est maximè à priori, cum explicet radicem virtutis cognoscitiuæ, ac maioris, & minoris virtutis cognoscitiuæ. Omnes formæ eatenus sunt cognoscitiuæ, quatenus aliquo pacto sunt immateriales, vel minus materiales, & quo magis sunt immateriales, magis sunt cognoscitiuæ; sed Deus est summè immaterialis, siquidem est actus purus, nihil habens materiæ, seu potentiæ, ut ostensum est qu. 22. num. 21. ergo &c.

11. Maior probatur primò à priori. Nam cognoscencia per hoc differunt à non cognoscentibus, quod non cognoscencia ita sunt limitata ad suam formam, & ad suum esse, ut non possint habere, & recipere intentionaliter formas, & species aliarum rerum: at cognoscencia non solum habent suam formam, & suum esse, sed etiam possunt habere, & recipere intentionaliter formas, & species aliarum rerum; sed non posse habere, & recipere intentionaliter formas aliarum rerum est quædam limitatio, & coarctatio essendi; posse autem habere, & recipere formas, & species intentionales aliarum rerum est quædam amplitudo, & illimitatio essendi; ergo cogno-

scencia differunt à non cognoscentibus per amplitudinem, & limitationem essendi; ideoque Aristoteles 3. de Anima text. 37. dicit, quod anima cognoscitiua est quodammodo omnia, & sic habet esse quoddam vniuersale, & illimitatum, cum possit recipere formas intentionales omnium entium; sed formæ coarctantur, & limitantur per materiam, per immaterialitatem autem accedunt ad quandam infinitatem; ergo formæ eatenus sunt cognoscitiuæ, quatenus sunt immateriales, vel minus materiales, & quo magis sunt immateriales, eo magis sunt cognoscitiuæ.

12. Probatur secundò eadem maior inductione. Primò ex formis aliæ sunt simpliciter materiales, hoc est dependentes à materia, ac non potentes esse, nisi in materia: aliæ sunt simpliciter immateriales, hoc est independentes à materia, & existentes, vel potentes existere extrà materiam, quales sunt Angeli, & animæ rationales; sed formæ substantiales immateriales sunt magis cognoscitiuæ, quam materiales; siquidem omnes formæ immateriales sunt cognoscitiuæ, non omnes formæ materiales, sed solæ animæ brutorum sunt cognoscitiuæ, ac præterea omnes formæ immateriales sunt intellectiuæ, adeoque cognoscitiuæ omnium; animæ materiales brutorum sunt purè sensitiuæ, adeoque cognoscitiuæ non omnium, sed solum sensibilibus; ergo &c.

13. Secundò ex formis materialibus solæ animæ brutorum sunt cognoscitiuæ; sed animæ brutorum sunt minus materiales, quam formæ plantarum, elementorum, & mixtorum inanimatorum, ideoque Aristoteles 2. de Anima text. 124. docet plantas non cognoscere propter suam materialitatem; ergo &c. Probatur minor. Nam potentia ad diuisionem, in plura eiusdem rationis est quædam maxima materialitas, ideoque formæ, quæ minus habent de hac potentia, sunt minus materiales; sed inter formas materiales animæ brutorum minus habent de hac potentia; ergo. Probatur minor: nam elementa, & mixta inanimata, tum secundum materiam, tum secundum formam diuidi possunt in plura specie, perfecta, & eiusdem rationis: ex gr. ignis palmaris potest diuidi in duos ignes semipalmares perfectos in specie ignis, & eiusdem rationis, & tunc simul diuiditur materia, & forma ignis: plantæ etiam possunt tum secundum materiam, tum secundum formam diuidi in plura saltem virtualiter perfecta, & eiusdem rationis; cum enim ex planta abscinditur furculus, siue ramusculus, talis ramusculus saltem virtualiter est integra planta eiusdem rationis, ideoque plantatus euadit integra planta; at animalia non possunt hoc pacto diuidi in plura perfecta animalia eiusdem rationis; licet enim serpentes, lacertæ, & quæ vocantur insecta diuisa viuant, & sentiant secundum plures partes, tamen lacerta &c. diuidi non potest in plures lacertas perfectas, ita ut etiam cauda la-

certè abscissa sit, vel possit euadere perfecta, & integra lacerta.

14. Tertiò canis, equus, leo, & alia animalia, quæ diuisa non viuunt, sunt perfectiora, & magis cognoscitiua; sed hæc habent animas minus diuisibiles, ac proindè minus materiales; ergo ex formis materialibus illæ sunt magis cognoscitiuæ, quæ sunt minus materiales.

15. Quartò Angeli sunt magis cognoscitiui, quam anima rationalis; sed sunt etiam magis immateriales; ergo &c. Probatur minor. Nam formæ, quæ semper debent esse separata à materia, sunt magis immateriales, quam formæ, quæ non semper debent esse separata à materia: sed Angeli semper debent esse separati à materia, anima rationalis primo debet poni in materia, deindè debet separari à materia; ergo &c.

16. Quintò ex ipsis Angelis illi sunt magis cognoscitiui, qui possunt cognoscere modo magis immateriali, hoc est magis indiuisibili; ergo &c. Probatur antecedens: Angeli enim superiores sunt magis cognoscitiui, in quantum vna cognitione indiuisibili possunt cognoscere plura, quæ Angeli inferiores cognoscere debent pluribus cognitionibus; ergo constat inductione formas, quo magis sunt immateriales, magis esse cognoscitiuas.

17. Ad 1. distinguo maiorem: omnis cognitio, quæ non possit esse à cognoscente, & ab obiecto altiori modo, quam per causalitatem, debet causari ab obiecto, & à potentia, concedo maiorem; quæ possit esse ab obiecto, & cognoscente altiori modo, quam per causalitatem, debet causari, nego maiorem; concedo minorem; & nego consequentiam. Sicut omne ens debet esse à Deo, sed non omne ens debet esse à Deo per causalitatem, sed vel per causalitatem, vel altiori modo, sic omnis cognitio debet esse à cognoscente, & ab obiecto formali, vel per causalitatem, vel altiori modo. Deus est à Deo, non per causalitatem, sed altiori modo, in quantum Deus est à se ipso; valet enim; *Deus est à se ipso; sed ipse est Deus; ergo Deus est à Deo.* Creaturæ cum non sint Deus, non possunt esse à Deo hoc pacto, sed debent esse à Deo, tanquam ab aliquo distincto, adeoque per causalitatem. Proportionaliter cognitio diuina est à cognoscente, & ab obiecto, non per causalitatem, sed altiori modo. Cognitio enim diuina cum sit ipsa Deitas, est à se; sed ipsa cognitio est cognoscens, vt ostensum est, & est obiectum formale sui ipsius, vt ostenditur quæst. 42. ergo cognitio diuina est à cognoscente, & ab obiecto formali. At cognitio creata non potest esse à cognoscere, & ab obiecto hoc pacto, Nam eo ipso, quod est creata, non est à se, sed ab alio; ergo debet esse à cognoscente, & ab obiecto formali, eo pacto, quo vnum est ab alio; sed vnum non aliter potest esse ab alio, quam per causalitatem, vel realem productio-

nem; ergo cognitio creata debet esse à cognoscente, & ab obiecto formali per causalitatem, vel realem productionem. Axioma illud, quod ab obiecto, & potentia paritur notitia, intelligendum est de sola notitia creata, & etiam aliquo modo de notitia increata, hoc est de Verbo diuino, vt explicabitur in quæstionibus de Trinitate. Vt verificetur de cognitione essentiali Dei, sumi debet abstractius, dicendo, quod ab obiecto formali, & cognoscente est cognitio.

13. Ad 2. Patet ex dictis. Explicatum est enim, quo pacto animæ brutorum sint minus materiales, quam formæ non cognoscitiuæ, & quo pacto Angeli superiores, adeoque magis cognoscitiui sint magis immateriales.

19. Ad 3. distinguo maiorem: quod est clarius, & notius ex terminis non debet probari per medium minus clarum, & notum, transeat; quod est clarius, & notius per vnum medium, non debet probari per aliud medium minus clarum, & notum altero medio, nego maiorem; distinguo eodem pacto minorem; & nego consequentiam. Quod non est nobis notum ex terminis potest probari per plura media, quorum vnum sit notius altero; ex gr. potest probari tum à posteriori per medium clarissimum, & facillimum, tum à priori per medium minus clarum, ac difficilius, sed causans scientiam perfectiorem, qualis est scientia à priori. In casu nostro nomine Dei intelligendo ens increatum, siue à se, non est per se notum, quod ens à se sit cognoscitiuum. Ex eo igitur, quod ens à se à nullo possit limitari, ostenditur, quod est illimitatum; ex eo, quod est illimitatum, ostenditur, quod habet omne esse sine vilo defectu: ex eo, quod habet omne esse sine defectu, ostenditur, quod est actus purus, nihil habens potentie, adeoque summè immaterialis: ex eo, quod est actus summè immaterialis, ostenditur, quod est summè cognoscitiuus.

QVAESTIO XLII.

Quæ obiecta materialia, ex quo obiecto formali, per quam speciem intelligibilem, & quo genere cognitionis, ac scientiæ Deus cognoscat?

S. Th. q. 14. a. 5. 6. 7. 8. 9. 10. 11. 12. 14. 16.

1. Primò videtur, quod in Deo non detur scientia propriè dicta. Scientia enim propriè dicta est cognitio conclusionum causata ex cognitione principiorum per discursum; sed Deo repugnat causalitas, & discursus; ergo &c.

2. Secundò videtur, quod Deus non habeat scientiam sui ipsius. Ex Aristotele enim 3. de Anima text. 12. & 28. Intelligere, & scire est quoddam moueri, & pati; scientia consistit